

ANTONII MESMER

Mariburgensis Acron. Suev.

A.A. LL. & Phil. Doct.

DISSERTATIO
PHYSICO-MEDICA
DE
PLANETARUM INFLUXU.

Quam

AUTHORITATE ET CONSENSU

Illustrissimorum, Perillustrium, Magnificorum,
Specabilium, Clarissimorum Virtorum,

REVERENDISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI
UNIVERSITATIS RECTORIS;

Reverendissimi, Illustriſ. ac ampliſſ. Domini
UNIVERSITATIS CANCELLARII;

Illustriſſimi, Magnifici, ac Clarif. Inclytæ Facul. Medicæ
DOMINI PRÆSIDIS;

Perillustris ac Magnifici Inclytæ Facultatis Medicæ
DOMINI VICE-PRÆSIDIS;

Perillustris, Magnif. ac Specab. Inclyt. Facul. Medicæ
DOMINI DECANI;

D.D. Sacrae, Cæsareo-Regiae, Apostolicæque Majeſtatis Confiliariorum, ac Archiatrorum

Nec non

CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM;
Venerabilissimi Senioris, atque totius amplissimi

DD. MEDICORUM COLLEGII;

pro Doctoratus Laurea
Summisque in Medicina Honoribus, & Privilegiis

legitime impetrandis

publicæ disquisitioni submittit.

Disputabitur in Palatio Universitatis Die
Mensis Maii MDCCCLXVI.

VINDOBONÆ, Typis Ghelenianis.

Multa renascentur, quæ jam cecidere cadentque
Quæ nunc sunt in honore. . . .

Horat. de art. Poet.

PRÆMONITUM.



*Erunt fortasse nonnulli,
qui frontem contra-
bant, quorumque re-
prehensionem incurram, cum
ex titulo qualiscunque hujus Dis-
sertatiunculae videant, post tot
calamis appetita celeberrimi
Meadii tentamina, me hominem
tantulum nihilominus conari in-
fluxum Astrorum a Medica disci-
plina Magnorum Virorum jussu
diu exulantem post liminio revo-
care, eidemque Medicorum pa-
trocinium & studia rursus conci-
liare. Quorum animos ut minus
aversos initio redderem, præ-
monendum duxi, non eum mihi*

A 2 pro-

*propositum esse, Astrorum influ-
xum tueri, quem Astrologi olim
defendebant, ita nempe, ut ex
eo & futuros rerum eventus, ho-
minumque fata divinari posse ja-
etarent, & eorum simul crume-
nas splendidis mendaciis emunge-
rent. Verum illud dunt axat præ
oculis habui, demonstrandi nem-
pe, Corpora Cælestia in Tellurem
nostram, contentaque omnia in
ea corpora agere, illaque move-
re, agitare, immutare, corpora
proinde nostra iisdem impressio-
nibus subjacere. Quod si evicero,
manifeste sequitur, Astrorum in-
nos influxum dari, eumque Me-
dicorum attentionem, & gratiam
non mereri tantum, sed flagitare.
Num autem illud consecutus sim,
quod mibi proposueram, illorum
judicio relinquam, qui in judiciis.*

fe-

ferendis non antiquis præconcep-
tis opinionibus se abripi simunt,
vel quorumdam authoritati plus
nimium tribuunt, sed qui cando-
rem in judicando afferunt, inge-
nuoque bellæ veritatis amore du-
cuntur. Nam illi merito contem-
nendi sunt, qui eo consilio alio-
rum scripta evolvunt, ut ea car-
pant, nodumque, ut dicitur, in
Scirpo quærant. Si cui verd
hæc cogitata nostra probabun-
tur, eique & otii plus, ac mibi,
ingeniique sit, is longe magis rem
provehere, ac dilatare poterit,
& qui præcise morbi ab Astro-
rum inflexu exoriantur, demon-
strare, quodque utilius, atque
optabilius est, qua potissimum ra-
tione & via illis medendum sit. &c.

Ad me, quod attinet, dabo ope-
ram, ut continuis experimentis

& observationibus hanc Spar-tam, prout tenuitas virium mea-rum feret, promoveam, quid-que inde Medica Disciplina pro-ficere possit, plenius cognoscam.

Quod si res minime ex voto cesserit, Honesti, & bene insti-tuti homines saltem, quam præ-metuli, bonam voluntatem lau-dabunt. Si vero conatus meos fortunaverit Deus, tum me in-gentem, omniisque prætio majo-rem, operæ, laborumque mer-cedem retulisse putabo.



DE



DE
PLANETARUM INFLUXU.

 Planetarum influxui ex constanti observatione omni retro ætate tantus honos a mortalibus habitus est, ut Agricultura, ars Nautica, Medicina plurimum eorum imperio tribuerent, donec Astrologi supervererunt, qui innumeris, vanisque

commentis suis veritatem hauc fœdum in modum corruperunt, ac deformarunt.

Verū recentiores Philosophi eradicandis veterum præjudiciis laudabiliter occupati, superstitiones Astrologorum quisquilias tam solidè demum profligarunt, ut vix amplius illis suburranæ plebeculæ, deliræque anus patrocinium relinquatur.

Surrexit tum Magnus Newtonus, qui veras Naturæ Leges geometrice persecutus, ipsam Mundi fabricam contemplationi nostræ subjecit, legesque *Attractionis*, quibus Machina Universi gubernatur, condi-

dedit. Etsi cognitæ attractionis vestigia omni fere ætate apud clarissimos viros inveniantur, Newtono nihilominus summa laus debetur, quod eam omnium maxime illustraverit, innumerisque experimentis, & observationibus citra omnem dubitationem apud æquos rerum æstimatores collocaverit; tum præcipue, quod eandem felicissimè adhibuerit, ad phænomenorum præferunt cælestium explicationem. Videamus quatenus hoc Systema rationi certe, & experientiæ consentaneum scopo nostro accommodari queat.

Omnia corpora sese mutuo pertinent, aut sese mutuo versus ten-

A 5 dunt,

dunt; vi, quæ singulis particulis materiae in singulas particulas competit; & vis, qua corpus in alia agit, efficitur ex omnibus viribus coniunctis particularum, ex quibus corpus constat; ideo vis hæc crescit in ratione, in qua Materiae quantitas augetur, & immutabilis est in singulis particulis, ad eandem distantiam semper eadem, autem aucta autem distantia decrescit, ut quadratum distantiae augetur. Effectus hic reciprocus *Gravitatis* vel *Attractionis** nomine insignitur, & pro Lege Naturae universali, infallibili habetur, quæ tripli hac propositione exponitur:

1. *Omnia corpora in se mutuo gravia sunt.* 2. *Gravitas hæc materiae quantitati proportionalis est.* 3. *Ad inæquales*

64.70

les distantias est inverse, ut quadratum distantiae. Gravitatem hanc revera dari in Systemate nostro Planetaryo, ex Phænonrenis probandum venit.

Planetæ a Sole ad distantias varias impetui primæ projectionis, & mafiae proportionatas semel projecti, revolvuntur circa omnium corporum Systema componentium communem Centrum Gravitatis, quod propter Solis ingentem magnitudinem, qua reliqua corpora longè superat, parum ab eodem distat. In motibus suis lineas ellipticas describunt. Singularum Planetarum primariorum orbitæ disponuntur, ut focorum alter cadat in centro Solis, unde Plane-

neta in singulis revolutionibus semel ad Solem accedit, semelque recedit. Foci distantia a centro figuræ variat, pendetque a celeritate & directione primæ projectionis, major est in remotioribus, prope Solem exigua est excentricitas. Planeta non æquali celeritate in omnibus punctis orbitæ suæ fertur, quo minus a Sole distat, eo celerius movetur; & tempora, in quibus arcus variæ orbitæ percurruntur, sunt inter se, ut areæ lineis ad centrum solis determinatae. Quadrata temporum periodorum singularium orbitarum sunt inter se, ut cubi diametrorum maximarum. Sagacissimo Keplero hæ motuum cælestium leges deprehensæ primum sunt, observationibusque posteriorum

rum quoque Astronomorum confirmatæ.

Quæ proin motum phænomena propria esse corporibus, quæ ita circa aliud moventur, ut a vi in foco existente in orbita sua retineantur, demonstratum est Mathematicis (a) quæque veritates illis adeo luculentæ sunt, ut reciproce unam ex altera inferant: in omni enim corpore, quod per lineam curvam moyetur, duæ spectandæ sunt vires indefinenter in illud agentes, quarum una à semita curvilinea per tangentem corpus retrahitur, altera ad aliquod punctum veluti centrum impellitur, ex quibus simili agentibus

mo-

(a) Newton Sect. 2. & 3. princip. Mathem.

motus curvilineus inde fit. Datur itaque Vis, qua Planetæ Solem versus trahuntur : cum autem actioni contraria semper & æqualis sit reactio , Sol ab ipsis Planetis attrahatur, necesse est, & quidem ea ratione ad singulum, quæ est inter horum, illiusque massam ; sequitur & Solem motui quasi antagonistæ subjici , motu licet exiguo agitari , dum Planetæ orbes suos describunt ; atque hæc Solis agitatio observationibus comprobatur.

Cum secundarii motu communi simul una cum primariis circa Solem volvantur , liquet eandem Vim, qua hi ad Solem feruntur ; & illos eundem versus agere.

Se-

Secundariorum irregularitates, quæ respectu Lunæ admodum sensibles sunt, confirmant hanc quoque secundariorum gravitatem in Solem.

Non minus primarios in se mutuo agere ex eo vel maxime constat, quod sese in motibus turbent notabiliter. Observarunt Astronomi, Saturnum a via paululum deflectere, ubi Jovi Planetarum maximo est proximus: ita, ut Jovem, & Saturnum in se mutuo graves esse immediatis observationibus constet. Hunc quippe ex Legibus Attractionis supra allegatis operosiore computatione deducunt perturbationum calculum: Ex actione Jovis in Saturnum, accessus ejus augetur ad solem $\frac{1}{222}$.
actio-

Actione Saturni in Jovem $\frac{1}{270}$, minuitur gravitas Jovis in Solem. Gravitas Martis in Solem $\frac{1}{12}, \frac{1}{12}$ actione Jovis illi proximi minuitur. Præterea ex actione mutua Planetarum sequitur lineas ellipticas lentissimè transferri, ut earum axes varias successive respiciant plagas, hi enim immobiles essent, si in Solem tantum graves essent. Saturnus observante Flamstedio turbat motum satellitum Jovis, hos paululum ad se trahens; quod probat & hos secundarios in Saturnum, & hunc in ipsos gravitare.

Ex haçtenus dictis evidenter patet, septemdecim Systema Planetaryarum componentia corpora in se mu-

mutuo gravitare. Cometarum motus quoque a lege gravitatis pendere, ex observationibus innotuit, & hiorum respectu, ut circa Planetas, Solis gravitas prævalet, hacque gravitate a semita recta deflectuntur: Viæ autem curvaturam ab hac eadem gravitate etiam pendere, ex eo sequitur, quod corpus ex hac gravitate describat Ellipsim, aut Parabolam, aut Hyperbolam, in cuius foco est Sol.

Licet extra scopum hujus operis sit computum Lunæ tradere, necesse tamen duxi, breviter exponere, quæ Telluri & Lunæ ex mutua gravitate inter se, & Solem contingant phænomena; ut eò faciliùs efficaciam generalem virium concipiatur.

Bmus,

mus, quo exactius earum novimus effectus. Quoniam præterea irregularitates, quibus Luna obnoxia est, sunt omnino similes illis, quæ in reliquis Planetis contingunt, eandemque causam agnoscunt, fas est, ut cuncta de Luna dicta, illis quoque suo modo applicentur.

Luna circa Tellurem in Ellipsi movetur; cuius focorum alterum occupat Telluris centrum, a quo Lunæ distantia media est semidiametrorum Telluris $60\frac{1}{2}$. Lunæ tempus periodicum circa Tellurem est 27. dierum & 7. hor. 43. min. circiter. Et exactissimè in eodem tempore circa axem rotatur.

Orbitæ excentricitas singulis revolutionibus, varias subit mutaciones;

nes; augetur, dum Luna Sizygias transit, minuitur, dum in quadraturis versatur; est verò excentricitas omnium maxima posita linea Apsidum in Sizygiis. Vis enim *turbans* in Sizygiis est dupla vis turbantis in quadraturis; excentricitas media est semid: 3 $\frac{1}{2}$.

Planum orbitæ cum plano Ecclipticæ efficit angulum circiter 5. gr. Sed non constans pariter est hæc inclinatio; ubi ad Sizygias pervenere Nodi, inclinatio plane est omnium minimæ; maximæ in quadraturis. Præterea in motu Lunæ circa Tellurem non motu parallelo feruntur, neque Linea Apsidum, neque Nodorum; sed hæc in antecedentia, illa in consequentia fertur, prima in 9.

B. 2 cir-

circiter annis revolutionem peragit; secunda in 19. circiter. Omnes, quos hic posuimus, errores in motu Lunæ paululum majores sunt, in conjunctione quam oppositione.

Ergo motu Lunæ generaliter considerato minuitur gravitas Lunæ in Tellurem accessu Solis; eademque cum minus a Tellure trahatur, ab hac magis recedit, quam recederet, si talis gravitatis diminutio non datur; augetur ergo in hoc casu Lunæ distantia, etiam tempus periodicum, & tempus hoc maximum est, ut & distantia Lunæ, cæteris paribus, maxima, versante Tellure in Perihelio, quia omnium minimè a Sole distat.

Con-

Consideratis ita motuum Phænomenis, quæ ab attractione Lunæ accidunt; dispiciendum pariter venit, quæ ex eadē causa in superficie Telluris contingent mutationes.

Tellus ut & omnia corpora in hujus superficie in Lunam gravitant (qua vi, Tellus retinetur in orbita circa commune centrum gravitatis hujus & Lunæ) ideo particulæ aqueæ in hac superficie, quæ ad centrum Telluris, aut hujus Viciniam tendunt, Lunam versus quoque feruntur, & a gravitate sua amittunt; quoniam autem cum reliqua Telluris massa minus cohærent, eadem vi a suo centro avertuntur, ad restituendum æquilibrium cum reliquis Lunam versus attolluntur. Quam

ob rem actione Lunæ aqua adipisci-
tur figuram sphæroides formatam ex
revolutione ovalis circa axem ma-
jorem, qui continuatus per Lunam
transiret. Manifestum itaque est
aqua in magis attolli in Meridiano,
in quo linea datur, & in Meridiano
opposito, quam in locis intermediis.
Ex motu circa axem singulis diebus
lunaribus loca singula per Meridia-
num Lunæ, & Meridianum opposi-
tum transeunt, id est bis illa trans-
eunt, ubi aqua ex actione Lunæ at-
tollitur, & bis, ubi ex eadem actio-
ne deprimitur; & sic in die lunari,
mare bis attollitur, bis deprimitur
in loco quocunque.

Quæ de Luna demonstrata sunt,
ad Solem applicari possunt, ideo ex
actio-

actione Solis æque singulis diebus naturalibus bis attollitur mare , bis deprimitur. Agitatio hæc multo minor est propter immensam distanciam , quam , quæ a Luna pendet : iisdem tamen legibus subjicitur , actione Lunæ ad 10. ped. actione Solis ad 2. ped. altitudinem communiter attollitur mare .

Non distinguuntur motus ab actione Lunæ & Solis pendentes , sed confunduntur , & ex hujus actione tantum mutatur maris fluxus lunaris. Quæ mutatio singulis diebus variat , propter inæqualitatem inter diem naturalem , & diem lunarem : dies lunaris naturalem 51. min. superat .

In Sizygiis ex amborum luminariorum actionibus concurrentibus attollitur aqua, & ideo magis attollitur. Minus ascendit mare in quadraturis; nam ubi aqua Lunæ actione attollitur, ibi deprimitur ex actione Solis & vice versa. Idcirco duni Luna à Sizygia ad quadraturam transfit ascensus quotidiani de die in diem minuantur: augentur contra in motu Lunæ a quadratura ad Sizygiam. In Novilunio etiam cæteris paribus agitationes majores sunt, quani in Plenilunio.

Si Luminaria ex Æquatoris plano recedentia consideremus, videmus agitationem minui, & minorem dari pro majori Luminarium declinatione. Quod clarè patet, si hæc in

in Polis concipiamus; tunc enim axis figuræ Sphæroidis cum axe Telluris coincidit; & omnes Sectiones ad Æquatorem parallelæ ad axem Sphæroidis sunt perpendiculares, ideoque circulares. Ita, ut aqua in singulis circulis latitudinis ubique eandem habeat altitudinem, quæ motu Telluris non mutatur in locis peculiaribus.

Si ex Polo recedant luminaria, agitationem continuo magis ac magis augeri facile videnius, donec omnium sit maxima, revoluta Sphæroide circa lineam ad axem suam perpendicularem, posito Sphæroidis axe in plano Æquatoris.

Hinc liquet, quare in Sizygiis prope æquinoctia, æstus omnium

maximi observentur, ambobus luminaribus in Äquatore, aut propè hunc Versantibus. Actiones Lunæ & Solis eò majores sunt, quò minùs hæc corpora a Tellure distant; cùm autem minor Solis distantia detur, hoc versante in signis Australibus, sæpe ambo Ästus maximi æquinoctiales in illo situ Solis observantur; id est ante Äquinoctium vernum & post autumnale; quod tamen non singulis annis obtinet; quia ex situ orbitæ lunaris & distantia Sizygiæ ab Äquinoctio, variatio dari potest.

Hæc cum ita sint, facillimo negotio fit applicatio totius hujus doctrinæ ad Atmosphærā, atque instituta proportione aeris ad aquam, quæ circiter est 1. ad 1000. novimus

mus atmosphærām Æstus tempore
decies aut duodecies millies altio-
rem fieri. Huc omnia Phænomena
conspirant, quæ probarent fluxum
& refluxum in aere eodem prorsus
modo fieri, ac in aqua. Constans
est observatio status Cœli maximè
ventosos incidere in Æquinoctium
vernū, aut autuninale. Notum
etiam est, pacatum alioquin aerem
Ventorum vi plus minus agitari,
plerumque meridie, aut media no-
cte, Idem pariter contingere liquet,
cum intumescit maximè maris æstus;
hoc est Luna summum Cœli Verti-
cēm, aut huius oppositum locum te-
nente, Novam denique plenamque
Lunam Cœli tempestates plerum-
que, Ventis coortis commutare,
ne-

nemini non perspectum est. Iſti ſunt effectus; qui non aliam agnoscunt cauſam, quam Lunæ, Solisque gravitatem in Tellurem; quæ cum haud abludat, ut diximus, ab illa, quæ inter omnia & singula reliqua Cœleſtia Corpora datur, conſicere licet, non levioris quoque momenti eorum actionem eſſe in Tellurem.

Ab oīni ætate compertum fuit, gravifſimos Naturæ eventus circa Äquinoctia tum maximè accidiffe, ubi Novilunium, aut Plenilunium, coniunctiones Planetarum, Ecclipses, Cometarum apparitiones in eadem coincidere. Hæc enim nunquam non magnas in Terra revolutiones cauſarunt, & intima etiam ejus viscera commoverunt.

Pli-

Plinio jam notatum, Terræ motus Vere, & Autumno solemnes: Id quod recentiores Physici certissimis observationibus confirmarunt: Celebris Ternatæ Vulcanus regulariter Mense Aprilis & Septembris sœvit. Baglivius suæ ætatis gravissimos terræ motus observavit eo recte tempore, ubi notabiliores contingere Planetarum conjunctiones. Tiphonum furor circa Plenilunium, & Novilunium nautis formidabilis est. Insignis observationum numerus comprobat, Cometarum apparitiones terribilia quæque Naturæ phænomena: feroce montium igni vomorum eruptiones, diros terræ motus, inundationes, pestes, portendisse.

His

His ita perpensis, satis luculenter
apparet, mutationes in Cœlestibus
Corporibus vix illas evenire, quin
& fluida, & solida Telluris nostræ
in consensum inde trahantur. Ec-
quis itaque inficias ibit, fabricam
Animalem quoque ab iisdem causis
haud mediocriter commoveri? &
animal est pars Telluris & fluidis &
solidis constans, quorum proportio
& æquilibrium insensibiliter mutata,
sensibilissimos produnt effectus.
Aer Elementum est, in quo vivi-
mus, cuius varium Regimen corpo-
ris organici Harmoniam turbat.
Quem enim latet, aerem calidum,
frigidum, siccum, humidum, motum,
stagnantem, variis inquinatum par-
ticulis animantia cuncta afficere? Si

Lu-

Luna nos in Atmosphæra decies milles altiore sepelire, si circa circum exhalationes toto Horyzonte diffusas e variis plagis colligere, & supra cervices nostras accumulare valeat? si ergo potest esse causa ventorum, caloris, frigoris, nubium, nebularum, tempestatum &c. quis quæso! non evidenter videt, hujus Sideris in nos dominatum?

Nec tamen quis credat, effectus Æstus aerei ex mutata aeris pressione directe pendere; nam et si columna aerea in tantam molem intumeat, ea utpote a Luna attracta, atque sustentata impeditur, quominus effectum illum sui ponderis exferat in partes subjectas. Neque etiam huic atmosphæræ elevationi respondet Barometrum observante Clarif. Ramazzin.

Nisi forte quandoque, quatenus dicta induxit Meteora. Manifestus igitur est hic Lunæ influxus, ut supervacaneum videatur, huic ulterius exponendo insistere.

Est porro alia influxus species in corpus animale, quæ non ab illis vulgaribus Atmosphæræ qualitatibus pendere videtur; sed potius immediate ab illa vi, quæ per vasta Cœlorum spatia effusa, intima cujuscunque materiei penetralia afficit, ingentes Sphæras in orbitis suis retinet, a vero tramite in vario situ abstrahit, turbat, quæ est universalis Gravitas causa, quæque probabilius est fundamentum omnium Proprietatum corporearum; quippe, quæ in particulis minimis fluidorum, solidorumque

que nostræ Machinæ, intendit, remittit, turbat, Cohæsionem, Elasticitatem, Irritabilitatem, Magnetismum, Electricitatem; atque etiam hoc intuitu *Gravitas Animalis* nuncupari haud immerito posset. Quem iam fugit? affectiones nostri corporis maximi momenti fieri per substantias tales, quas præ subtilitate in corporum classem referre, fere ambiguus. Instantia sit materia luminescens, cujus tamen efficacia ad corpus animale mutandum neminem latet. Exigua sane universi systematis nervosi portio est, quæ in Machina animali exponitur, ut recipiat impresiones a materia lucis, quæ tamen sufficit ad eam totam commovenendam, ad excitandas miras corporis &

animi mutationes. Nota est illa aeris modificatio, quæ solis iis nervis, qui in auditus organo ordinantur, applicatur, & totum tamen animal concutit. De materia odorifera, & sapida idem dicendum foret. Si jam ponamus Potentiam aliquam existere, quæ utpote in cuncta Corporis puncta se insinuans, universæ nervorum Compagi, Sensorio, ipfi fluido nervo *immediate* applicetur; quis jam mirabitur, si qualescunque ejus alterationes, totani fabricam affligant?

His itaque consideratis, minimè paradoxum videbitur, si Æstum æque in corpore humano fieri contendamus, si iisdem viribus, quibus una cum atmosphæra intumescit, & Humores nostri in suis vasis commovet.

veantur varie, turbentur, attollantur, ac caput versus rapiantur copiosus. In plantis manifesta est succorum elevatio in Plenilunio.

Neque aliud quid edocemur evariis morborum Historiis: Comitialis morbus nova imprimis plenaque Luna recurrere solet, unde passim *Lunaticus* dicitur. „ Regit, inquit Galenus „ Luna epilepticis periodos (a). Nautæ quidam in nosocomio Divi Thomæ Londini novani, plenamque Lunam morbi hujus accessu indicabant. (b)

Puella Epileptica faciem habuit maculis distinctam, quæ pro varia Lunæ Phasi varium præbebant aspectum ex Bartholin. (c). Nuc refer-

C 2 ri

(a) De dieb. crit. lib. III. (b) Mead. de imper. Sol. & Lun. (c) Histor. anatom. centur. 17

ri meretur casus singularis Kerkringio recensitus (d) Gallæ matronæ, quæ tempore plenilunii facie prædicta erat rotunda, & sene quam formosa, sed decrescente Luna, oculus, nasus, & os in unam partem vertebantur, ita, ut deformis admodum in publicum prodire non sustineret, donec crescente iterum fidere rediret, & ipsa ad suum Plenilunium & formæ suæ Venustatem.

Hysterici & Hypochondriaci affectus periodos suas fortiuntur, idque testantur plures a Pitcarnio notati casus. (e)

Vertigines, Paralises, ut & Tremores periodica non raro observa-

runt

(d) Obs. Anat. 92. (e) de morbis a serosa collut, observ. 27.

runt Medici, quorum casus Pifone
recensentur.

Maniacorum furores ad Lunæ cir-
cuitum revertentes in Vulgus noti
sunt. Menses muliebres à Luna
concitari non ex opinione vana, sed
sedula observatione comperta re af-
firmarunt veteres, & recurrerent fr-
ne dubio universis fæminis eadem
certè lege hæ purgationes, nisi fide-
ris hujus viribus intercederent varia,
singularum victus, vitæque ratio, in-
finitum temperamentorum discrimen,
& incerta plurimorum casuum
vis, & efficientia; accedit, quod in
regionibus Æquatori propioribus,
ubi validissimam esse lunarem actio-
neni supra innuimus, copiosius fluant
menses, iniminuantur autem ea, qua
Polos vergunt proportione.

Ex eadem causa Hæmorrhagiæ periodi viris quoque accidere; casum juvenis per seiquiannum sanguinis sputo laborantis, quod cum nova Luna constanter redibat; ut & viri cūjusdam, e cuius pollice sinistro plena semper Luna sanguis profluxit, notavit Musgrave (f).

Caupo quidam Hibernus ab anno ætatis quadragesimo tertio usque ad quinquagesimum quintum effusione sanguinis ex indice digito manus dextræ, singulis fere mensibus recurrentem, ad libras circiter quatuor habuit, initio facto a Plenilunio, Æquinoctio verno proximè succedaneo (g).

Neque prætermittendum est Sætorii experimentum staticum; quo

(f) Phil. transact. N. 277. (g) Idem N. 277.

edoctus fuit corpora virorum sana & moderatissimo victu. utentia, singulis mensibus fieri solito ponderosiora unius scilicet, duarumque librarum pondere, & redire ad consuetum pondus circa finem mensis ad instar mulierum, sed facta crisi per urinam paulo copiosiorem vel turbidiorem (h). Ulcera quædam humoris æstus certa lege sortiuntur: (i) Bagliv. meminit viri alicujus fistula in colo intestino affecti, quæ ingentem stercoreis copiam crescente Luna excerne-re solebat, quæ eadem decrescente regulariter minuebatur; huic casui Cl. Mead. (k) subjungit Historiam adolescentis, qui ex lue venerea Ulcus contraxit, singulo Plenilunio

C 4

Icho-

(h) Med. stat. Sect. I. aphor. 65. (i) Bagliv de exper. circa sang. (k) Loc. cit.

Ichorem plorans, suppresso continuo post septimanam fluxu, eoque revertente Plenilunio semper restituto sponte.

Renum dolores per lunaria intervalla reciprocantes animadvertit Tulpius (l). Spiritus difficultates, menstruos saepe recursus habere Helmontius & Floyerus observarunt. Typticam illam morborum acutorum Naturam, qua ægrum plerumque liberat dies septimus, quartus decimus, aut unus & vicesimus in Lunæ efficaciam conjecit Galenus.

Epidemicæ annorum constitutions in hunc censum referri merentur, quæ observante solertissimo Sydenhamo (m) non communem cum re-

(l) Observ. med. lib. II. c. 43. (m) de dieb. decret. lib. II.

reliquis febribus causam agnoscunt; quippe qui animadvertis annos, quo ad manifestari aeris temperiem sibi plane consentientes, dispari admodum morborum agmine infestari, & vice versa. Constitutiones varias, quæ neque calori, frigido, non sicco, humidove ortum suum debent, sed ab occulta potius, & inexplicabili quadam alteratione in ipsis terræ visceribus pendent, unde aer ejusmodi effluviis contaminatur, quæ humana corpora, huic aut illi Morbo addicunt, determinantque, stante, scilicet, præfatæ constitutionis prædominio, quæ exacto demum aliquot annorum curriculo, facessit, atque alteri locum cedit. Reni hanc illustrabunt adhuc magis, quæ scri-

psit, Cl. Ramazzin. (n) in civitate,
& agro Mutinensi tribus illis annis
continuis s̄æviebat illic febris pete-
chialis valde pestifera, observatione,
inquit, dignum fuit, quod post ple-
nilunium, ac multo magis silente
Luna, ferociebat hæc febris, quæ
postea ad novum ejusdem Lumen
mitescerat; nec mea tantum, sed
aliorum quoque Professorum con-
stans fuit observatio, quod non pa-
rum contulit ad hujus febris prognos-
sim & curationem. Alio loco habet:
Admirandum certe fuit, quod 21.
Januarii 1693. contigit: facta enim
per noctem lunari Ecclipsi major
pars ægrotantium obiit, & eadē
hora, qua nimis Luna laborabat;
quin;

(n) Comment. de constit. Anno 1692.

quin & nonnulli repentina morte oc-
cubuerent,, Apositissima etiam in hanc
rem est, narratio quædam Bellonii
(o) qui convenisse, ait: ,, Medicos
aliquot Parisienses, ut de salute Illu-
stris cujusdam fæminæ deliberarent,
dum consulitur instabat Solis defe-
ctus ; abeunt ab ægra, ut cœlum
contemplentur, nihil tum imminen-
tis mali prævidentes, imo ne fuspi-
cantes quidem ; illico verò ad illam
revocantur eo ipso temporis pun-
cto, quo defecit Sol, anima deficien-
tem. Et mirabantur omnes, eam
non ante ad se rediisse, quam Astro
redierat luminis sui splendor. , Non
minus memoratu dignum est Baco-
nem Verulamium, quoties Luna de-
fice-

(o) Epidem. lib. p. 48.

ficeret, animi deliquium semper pa-
sum, ut nonnisi restituto sideri lumi-
ne rediret ad se.

Pestem virtutem hanc lunarem sen-
tire etiam deprehensum est: Diemer-
broekius (p) qui morbi hujus anno
1636. Novioniagi graffantis indolem
& progressus diligentissime descri-
psit, circa novam plenamque Lunam
exacerbatam semper fuisse, illosque
fere omnes occubuisse.

Hæc sunt, quæ ex veterum monu-
mentis pro Lunæ & Solis in homi-
nes facultate adferre licuit exempla,
& essent sane innúmera, nisi præcoci
nimis judicio a tanto tenipore hancce
veritateim explosissent Medici; Veri-
tatem, quæ si rite perpendatur, mul-
tas

(p) de peste.

tas alias in Physicis & Medicina indubitas post se relinquit. Tametsi verò Planetarum potentias non valeamus explanare ex Morborum historiis, non tamen levioris momenti eosdem esse in corpore nostro, saltem ex eo conjicere licet, quod ratione summe analoga, eisdem prorsus causis aliorum corporum actionem experiantur, eademque mutent, ac de Luna, Tellure, & Sole dictum.

Neque porro opinandum, universam astrorum in nos efficaciam Morbis solis circumscribi. Admirandus est harum Sphærarum inter se concentus, & ineffabilis GRAVITATIS UNIVERSALIS effectus, quo corpora nostra in consensum tra-

trahuntur non æque & indifferenter omnia ; sed, quemadmodum in instrumento musico pluribus chordis instructo, ille præcise tonus resonat, qui cum dato quopiam unisonus est ; ita pariter ea tantum moventur corpora, quæ ratione sexus, ætatis, temperamenti, singularis dispositio-
nis &c. certam, determinatamque ad datam constellationem harmo-
niam habent.

Quæ cum ita se habeant quotus-
quisque Medicorum erit, qui statim
ipse per se non intelligat, influxus
Planatarum non levem in re medica
habendam esse rationem, eumque
improvidè, imprudenterque factu-
rum, a quo negligatur ? Quot enim
alia sunt in Medicina longe minoris

momenti, quæ tamen ipsius Doctores diligentissimè spectant, ac contemplantur? porro etiam si remota quædam suspicio animos Medicorum pulsaret, aliquid in Natura esse, quod æquabilem humani corporis Oeconomiam turbare, atque immutare posset, multisque morbis aut causam, aut remedium præbere; hoc ædepol! satis esset, ut eam ad rem oculos, mentemque converterent, ejusque cognoscendæ causa nihil intentatum relinquenter. Cum itaque non vana, neque longius accersita suspicio, sed evidens ferme demonstratio certum, ut reor, faciat, corpora humana a corporibus cœlestibus pro ipsorum motuum varieta- te vehementer concuti, diversisque affe-

affectionibus subjici; quanto æquius est, plenumque salutaris consilii, Medicos in hoc Astrorum influxu explorando curam, solicitudinemque haud mediocrem collocare? Quamobrem ego ita censeo, eum medicæ disciplinæ multum Lucis allaturum, ab hujusque Doctoribus plurimam gratiam initurum, qui magnis ingenii, eruditionis, patientiæ succenturiatus præsidiis ad hanc Provinciam copiosius illustrandam serio animatum adjicet.

